

jussæ ubi pauperes occurrerent. Viderint hic illi, qui malunt superflua sua tineis et blattis, canibus et lurconibus depabulanda dare, quam pauperibus: item qui ea, quæ paulo post peritura sunt, domi suæ malunt interire, quam pati ut a domesticis erogentur in usum pauperum. Fuit aliquando B. Bertulphus adhuc in sæculo degens (postea abbas S. Petri apud Gandavenses circa annum Domini 1070.) in servitio Wamberti comitis, e cujus bonis maxime vero de ciborum reliquiis, largas elemosynas pauperibus donabat, augebantur interim non minuebantur facultates domini. Verum invidentes illi ceteri famuli detulerunt eum ad dominum, quasi rei domesticæ dissipatorem, nuntiantque ei vespertino quodam tempore egredi Bertulphum cum hujusmodi furtivis epulis et vino ad pauperem. Revocatur ad comitem Bertulphus et quid gerat interrogatur. Cui ille: *In vase hoc fictili aquam habeo, quam ad ignem calefacturus sum.* Gustavit comes et aquam deprehendit, quæ tamen ubi ad pauperem delata fuit, vini naturam recepit: apud Surium, in vita 5. Febr. Voluit hoc miraculo Deus erudire dominos, ut non facile prohibeant domesticis suis, superflua interitura bene dispensare, ne pereant.

XII. Discite contemnere honores et favores hominum; quod docuit Christus Dominus cum advertens populi studium fugit in montem, quo regiam dignitatem sibi offerendam declinaret, hominesque erudiret quanta sint incommoda et pericula eorum qui in summis dignitatibus constituti sunt, sibi vix unquam vacare posse, ad subditorum tantum vitam, pacem et conservationem attendere. Unde Claudianus ad Honorium dixit:

Tu civem patremque geras: tu consule cunctis,  
Non tibi: nec tuate moveant, sed publica damna.

Deinde suo exemplo malo omnes alios pervertere, ita ut non liceat ei soli malum esse, nec magis, quam soli latere. Rursum servorum suorum ita indigere opera, ut sine iis vix quidquam agere, vix vivere queat, atque ut eos obsequiosos habeat vicissim eis servire debeat. Nisi enim eos affabilitate, munerum largitione, errorum multorum dissimulatione sibi devinciat, vix unquam fideles ac benevolos habebit. Hinc quidam rex dixisse fertur se esse regem regum, dominumque dominantium, hoc est, eorum, qui ipsimet regunt et obtemperant cum ipsis placet, adeoque dominantur arbitrato suo: apud Serar. in c. I. Jos. Ad hæc de singulis sibi commissis capitibus dare rationem Deo: de singulis tributis, exactionibus, nummis, honoribus, de toto

principatus fine et mediis, quibus acquisitus, administratus, etc. quodque pessimum est, non habere facile qui delinquentem audeat corrigere. Viderunt hæc et similia non pauci ex ipsis gentilibus cæteroqui ambitiosissimis, qui vel oblata imperia respuerunt, vel etiam deposuerunt. Hoc postremum facere non semel cogitavit Augustus, fecit Diocletianus.

Superest nunc, ut, auditores, fragmenta hæc colligamus, quia in bonum nostrum a Christo reservata sunt. Videat unusquisque ex quo potissimum cophino frustum suum depromat, quod sibi maxime expediat, ut ita simul omnes satiati mente, non ventre, uno ore honorificemus Deum et Christum regem nostrum.

## CONCIO X.

## MYSTERIA.

I. Cur abiit Dominus trans mare, etc. — II. Cur Christi miracula omnia ad miserias pellendas facta. — III. Cur subiit in montem Christus. — IV. Cur ad Philippum ait: Unde ememus panes. — V. Cur ex panibus præexistentibus pavit turbas. — VI. Cur tamdiu beneficium distulit. — VII. Cur viri tantum non feminae computantur. — VIII. Quid illæ ceremoniæ: 1. Accepit panes in manus. 2. Aspexit in cælum. 3. Gratias egit. 4. Benedixit. 5. Fregit. 6. Dedit discipulis distribuendos. — IX. Cur superferunt duodecim cophini. — X. Cur turba voluit eum regem facere. — XI. Cur fugit Christus.

## THEMA.

*Abiit Jesus trans mare Galilææ. Joan. VI.*

Tantum est hodiernum Christi miraculum, ut etiam inter ethnicos a Sybilla prædictum fuerit, sicut refert Lactantius, l. IV. cap. XIV. « In panibus simul quinque et piscibus duobus, hominum millia in deserto quinque satiabit, et reliquias tollens post fragmenta omnia duodecim cophinos implebit in spem multorum. » Ejusdem miraculi præludium præcessit in Elisæo propheta apud Judæos, quando viginti panes hordeaceos jussit apponi centum viris, quibus adeo satiati sunt, ut etiam superferit, IV. Reg. IV. Sed quemadmodum umbra a corpore, sic miraculum Elisæi, a miraculo Christi vincitur. Ille enim viginti panibus centum viros pavit, ut aliquid superesset: hic vero quinque panibus quinque virorum millia absque mulieribus et parvulis ita satiavit, ut duodecim cophini fragmentorum superessent; quodque est potissimum, ille id aliena, hic propria virtute fecit hoc miraculum; quod quia mysteriis refertissimum, attente considerandum est

I. Cur abiit Christus trans mare in desertum? Respondetur primo ex Hieron. in Matt. XXIV. et Beda. Ut sævitiae Herodis cederet, qui paulo ante occiderat Joannem, adeoque necem etiam Christo machinari voverat, Unde Luc. XIII. dicunt ei Pharisæi: *Eri et vade hinc, quia Herodes vult te occidere.* Ubi etiam discis quam facile potuerit quancumque voluit, effugere manus persecutorum, etiam modis naturalibus, non erat necesse ut se invisibilem faceret, etc. noverat modos faciliores et humanos, quia noverat omnium consilia.

Secundo, ne Herodis curiositati satisfaceret, qui quærebat eum videre, Luc. IV. num videlicet esset Joannes a se occisus, quem putabat resurrexisse. Vel ut signum aliquod ab eo videret, Luc. XXIII. Sed Jesus amabat tantum videri ad salutem, non ad curiositatem.

Tertio, quod discipuli ejus legatione functi et bene defatigati redierant, et ob id quiete indigerent, Luc. IX. et Marc. VI. ubi ait illis: *Venite seorsum in desertum locum et requiescite pusillum.* Pusillum ergo quiescere conceditur a Christo. Verum uti a turbis ad quietem spiritus et orationis se recepit Christus, ita et nos a cura proximorum ad propriam animæ curam subinde nos recipere debemus. Etenim terra majorem habet vim ad producendas fruges, si quiescat interdum, nec semper jacta semente exercentur.

Quarto, ut dolorem solaretur ex nece Joannis conceptum; homo enim cum esset, humanos affectus demonstrabat, uti et in Lazari morte.

Quinto, mystice, ut doceret. Primo quoniam per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei; ubi panis gloriæ proponitur edendus. Qui hanc viam non tenent, ad cœnum Epicuri venient. Nemo miratur si in mari fluctuet, ita ne mireris, si in mundo pressuras experiaris.

Secundo, ad communionem perveniri mediante penitentia debere. Sicut prius pervenerunt Israelitæ ad aquas amaras, Exod. XV. quam plueret eis manna, Exod. XVI. Tametsi multi instar Hebræorum conqueruntur de aquæ hujus amaritudine. Sed *dulcia non meruit, qui non gustavit amara.* Ita per quadragesimale jejunium et penitentiam ad pascha pervenimus; licet etiam multis non sapiat quadragesima. Deus ostendit Moysi lignum, quo dulcoratæ sunt aquæ illæ. Cogita tu lignum crucis, quantos pro peccatis tuis sustulerit dolores Dei Filius; et videbis dulces esse labores penitentiae.

II. Cur Christus omnia sua miracula curandis hominum corporibus et pellendis eorum miseris impendit? Respondetur primo, ut per hoc animas etiam lucraretur, et hoc quasi vehiculo beneficii

corporalis homines ad fidem suam suavius et facilius adduceret. Pendet enim fides non solum ex intellectu, sed etiam ex voluntate bene affecta; unde multum juvat ad persuadendum, benevolos sibi reddere animos aliquo beneficio.

Secundo, ut indicaret causam, quæ de cælo in terram eum traxit: miseria videlicet nostra et ipsius misericordia. Venit enim tamquam medicus animarum morbos depulsurus, sola motus misericordia super nostris vulneribus et miseris, uti in Samaritani illius parabola ostendit ipse, et alibi edixit: *Ego veni ut vitam habeant.* Item: *Filius hominis non venit perdere homines, sed salvare,* quando incitabatur ad perdendos Samaritanos igne de cælo misso.

Tertio, ne cui foret occasio opinandi, miracula ejus ad ostentationem tantum aut ope dæmonum fieri. Quomodo enim beneficeret hominibus opera dæmonum, qui non veniunt nisi ut mactent et perdant homines? Et quomodo ad ostentationem faceret miracula, quæ omnia impendit miseris? Nullum fecit inutile, nullum vel uni noxium, nullum nisi visa prius hominum miseria, uti in hodierno etiam miraculo asserit Marcus.

III. Cur subiit Jesus in montem cum discipulis? Respondetur primo ad litteram, ut discipuli ex itinere prius fatigati quiescerent a turba, vel ut ipse cum discipulis subinde a tumultu populi se subduceret et orationi vacaret.

Secundo, allegorice, quia ipse erat mons ille descriptus, Isa. II. *In vertice montium, elevatus super omnes colles,* id est, sanctos, idque partim ob suppositi divini eminentiam, partim ob vitæ et doctrinæ præstantiam. De illo monte ait Isaias: *Et fluent ad eum omnes gentes et ibunt populi multi.* De isto ait Joannes: *Et sequebatur eum multitudo magna.* De monte descendunt pluvie in valles; ita de Christo gratiarum imbres ad populum inferius expectantem.

Tertio, tropologice, quia decet discipulos, id est, religiosos et clericos altius ascendere cum Christo quam vulgus, ad perfectionis montem videlicet. Unde Arsenio eremitæ, cum descendisset aliquando de eremo ad flumen, et tactus ab Æthiopissa per meloten, increpasset eam, respondit puella: *Si monachus es, vade in montem.* Quo ille verbo compunctus, crebro se compellebat: *Arseni, si monachus es, vade in montem.*

IV. Cur ad Philippum dixit: *Unde ememus panes?* Respondetur primo ut Philippum tentaret. Sciendum autem Deum tentare ad bonum, obijciendo aliquod objectum virtutis exercendæ, eo fine ut virtus in homine latens ostendatur, acuat, perficiatur, et tandem coronetur. Dia-

bolus vero tenta ad maum, objiciendo illecebras, hoc fine, ut pertrahat hominem in peccata et gehennam; cujusmodi malorum *intentator non est Deus*, Jac. I. Ita ergo nunc Christus tentavit Philippum, ut fidem ejus (num videlicet paucis panibus posset satiare tot homines) exerceret et patefaceret. Latuisset Abrahæ obedientia, castitas Josephi, mansuetudo Davidis, patientia Job, fortitudo Tobiae, constantia Chananææ, etc. nisi tentata fuisset. Ita tentat nos Deus per quadragesimam jejunii præcepto, an ipsum plusquam nos, Ecclesiam plusquam mundum aut ventrem, an animam plusquam corpus diligamus.

Secundo, ut hac propositione Philippus et omnis turba clarius adverteret defectum subsidii humani, adeoque miraculum manifestius fieret. Hinc solet differre Deus opitulationem suam in rebus nostris adversis eoque, donec advertamus nostram desolationem et impotentiam, sicque Dei succurrentis beneficium magis agnoscamus et glorificemus.

Tertio, ut ostenderet quanta potestate et facilitate faceret miracula, quasi per ludum videlicet juxta id: *Ludens in orbe terrarum*. Sciebat quid esset facturum, interrogat tamen discipulum de modo pascendi tantum populum, quasi difficultimum aut impossibile esset. Qua in re ostendit se superiorem prophetis et aliis, qui miracula faciebant, sed ut ministri, non ut domini; precibus, non imperio.

V. Cur ex panibus et piscibus non de novo creatis, sed præexistentibus pavit turbas? Resp. primo ut virtus miraculi evidentius constaret. Multiplicatio paucorum panum magis erat perceptibilis, quam creatio novorum. Rursum si non panes inter præsentis reperti, sed aliunde allati fuissent ad multiplicationem adhibiti, potuissent aliqui dicere, multiplicationem ope dæmonum aut occulta panum illorum virtute factam. Adeo enixe studuit optimus magister noster veritatem cordibus nostris imprimere, et errorum vias præcludere.

Secundo mystice, ut ostenderet legem veterem in quinque illis panibus significatam, non velle solvere, sed adimplere. Unde lex nova non vocatur nova, quod a veteri prorsus diversa sit et alia, sed quod renovata et reformata seu perfecta. Vetus enim per novam explicatur ac perficitur.

Tertio, quia vult nos sibi cooperari, et quantum in nobis est, nostra ei offerre: sic ab eo fient plura et meliora. Fac et da Deo quod in te est, Deus addet reliqua et reddet tibi cum fœnore.

VI. Cur tamdiu beneficium distulit, tot amba-

gibus usus, antequam famescerent turbam pasceret? Respondetur primo ut majoris æstimerent beneficium, majorique gratitudine acceptarent. Quando de levi morbo curamur a medico, minus æstimamus beneficium, minus agnoscimus et prædicamus ejus peritiam, minus ei grati sumus; sed multo maxime, cum de iethali et conclamato. Sic cum in parva egestate copiosas fruges dat Deus, minus æstimamus, quam cum in maxima.

Secundo, ut doceret nos in ipsum rebus desperatis, maxime sperare. Ubi enim deficiunt humana subsidia, ibi suppetunt divina. David in angustum redactus a Saule et in modum coronæ undique cinctus, oravit ad Dominum, Psalm. LIII. et repente liberatus est, I. Regum XXIII. Ita Sareptanæ cum non haberet nisi pugillum farinæ, multiplicata est farina per Eliam, III. Reg. XVII. Ita viduæ alteri, cum non haberet plus olei, quam quo ungi posset, et creditores peterent ejus filium ad servitutem, multiplicatum est beneficio Elisæi, IV. Regum IV. Ita Susanna cum jam ad supplicium damnata duceretur, liberata est per Danielelem, Daniel. XIII. Ita Felix Nolanus presbyter, ab insequentibus se satellitibus, beneficio telæ araneæ salvatus est inter duos parietes, etc.

VII. Cur viri tantum, non item femine et pueri ponuntur in numero consistentium; ait enim Matthæus: *Exceptis mulieribus et parvulis*? Respondetur id ex more S. Scripturæ factum. Primo, quia femine et parvuli ad viros spectant iisque subjecti sunt. Ita in conventu principum aut nobilium numerantur domini tantum, non item conjuges, liberi et servi eorum. Ideo nec genealogias feminarum textit Scriptura. Vult ergo per hoc Scriptura insinuare mulieribus, quod subditæ sint viris, et viri earum capita; parvulis similiter se non sui juris sed parentum esse.

Secundo, quia femine in ss. litteris significant homines molles, voluptuarios, delicatos, inconstantes; pueri vero imperfectos et insipientes. Ut ergo indicetur tales excludi a convivio cœlesti, quod per hoc terrestre representabatur, non numerantur femine et pueri. *Regnum enim cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud*, ait Dominus. Qui ergo puerorum instar timidi, vel feminarum instar inconstantes aut nimis delicati sunt, non obtinebunt regnum cœlorum. Origenes, homil. I. in Num. ait: *Donec inest alicui nostrum vel puerilis vel lubricus sensus, vel feminea et resoluta segnitias, haberi apud Deum in sancto et consecrato numero non merebuntur*.

VIII. Quid sibi volunt illæ cæremoniæ? Nam

accepit Christus quinque panes in manus, deinde gratias egit: rursum secundum Marcum, intuens in cœlum, benedixit et fregit panes, et dedit discipulis suis ut ponerent ante eos. Respondetur primo, accepisse in manus, ut se miraculi auctorem declararet, nec impetrasse panes precibus, uti Elisæus et alii sancti obtinuerunt; sed virtute propria et tactu manuum suarum multiplicasse. Secundo, ut sciremus de liberalitate manuum Dei pasci omne vivens, juxta id Psalm. CXLIV. *Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et implet omne animal benedictione*. De illius manibus fruges nobis crescunt et fœtus animalium gignuntur et multiplicantur quotidie. Nemo suæ industriæ vinum suum adscribat.

Secundo, in cœlum suspexisse. Primo, ut ostenderet se de cœlo esse, et de Patre suo cœlesti hanc potestatem habere, nec Deo repugnare, ut calumniabantur Judæi. Secundo, ut doceret omne datum optimum et omne donum perfectum *desursum esse descendens a Patre luminum*, ut Jacobus ait; proinde et nos ad cœlum subinde, dum bonis Dei fruimur, oculos levare, velut anseres dum hibunt; non cibum solummodo et terram aspectare, quemadmodum porci faciunt glandibus intendentes, ad quereum vero nunquam suspicientes. Tertio, ut doceret nos omnia, præsertim bona opera, eleemosynas, etc. dirigere ad Deum, ut ei soli placeamus, non ad vanam gloriam, etc.

Tertio, gratias egisse: primo, quia beneficium hominibus conferendum, suum reputabat. Et sicut caput pro membrorum refectione, sic Christus pro nobis agit gratias Deo, præsertim quia nos sæpe non agimus. Secundo, ut doceret nos gratias agere, quoties occasionem nanciscimur benefaciendi proximis. Hoc enim si recte expendatur, majus est beneficium, quam quod alteri impendimus, quoniam Dominus dixit: *Beatius est magis dare, quam accipere*, ait S. Paulus, Act. XX. Pro beneficio et gratia reputatur, si recipiat ab aliquo princeps ad censum annum magnam pecuniæ summam. Atqui *fœneratur Domino, qui miseretur pauperis*, ait Sapiens, Proverb. XIX.

Quarto, benedixisse: primo, ut hac benedictione panibus et piscibus multiplicationem impertiret. Secundo, ut doceret nos ante comestionem mensæ benedicere. Primo ne cibus a dæmone ejusque potestate inficiatur, sanctificatur enim per verbum Dei et orationem, ait apostolus, I. Timoth. I. Secundo, ne instar pecorum aut infidelium in cibos irruamus, sine ulla pia cogitatione. Certe Esseni Judæi, ante et post cibi

sumptionem fundebant orationem, Joseph, libro II. belli, cap. VII. Imo et Turcas præmittere mensæ solitas orationes testantur legati Christianorum. Tertio, ne cibus obsit corpori et animo per intemperantiam, etc. *Quis enim est*, inquit S. Augustinus, libro X. confes. c. XXXI. *qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis*? Quarto, ut moneamur refectionem nostram facere ad voluptatem, sed ad Dei honorem et obsequium. Non possumus nos per benedictionem nostram cibos multiplicare, possumus tamen sufficientiam indeficientem obtinere. *Mensa*, inquit S. Chrysostomus, hom. LXXIX. ad pop. *ab oratione sumens initium et in oratione desinens nunquam deficiet, sed forte largius omnia nobis afferet bona*.

Quinto, fregisse: primo, ut commodius turbæ distribuere; docens interim doctores Ecclesiæ frangere parvulis panem, et ad captum eorum accommodare conciones, ut eas cum fructu audire queant.

Secundo, ut unitatem et concordiam nobis commendaret, quos de eodem pane participare voluit, velut domesticos suos ex eadem panis massa.

Sexto, dedisse discipulis distribuendos. Primo, ut ne obliviscerentur miraculi, sed memores ejus essent, cogitantes quot panes in manus sumpserint, ut ait Theophyl. in Luc. IX.

Secundo, ut doceret apostolos fore ministros suos, in verbi Dei et sacramentorum dispensatione, eaque ab ipsis non aliter quam a Christo suscipienda.

IX. Cur voluit superesse fragmentorum duodecim cophinos? Resp. Primo, ut appareret turbam vere de panibus comedisse et saturatam esse; non phantastice, quomodo sagæ cibantur sæpe a dæmone muribus, gliribus, bufonibus, sordibus, lignis, etc. speciem optimarum epularum representantibus.

Secundo, ut discipuli haberent monumentum fiduciæ in Christo ponendæ. Hinc enim paulo post cum abeuntes trans fretum solliciti essent, quod non accepissent secum panes, monemur a Christo horum cophinorum: *Non intelligitis*, inquit, *neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum: et quot cophinos sumpstis*? Matth. XVI. Similiter ut et nos Deo confidamus in nostris necessitatibus; siquidem adeo liberaliter cibum suppeditavit Christus, ut supereset. Ita Elisæus diffidenti ministro et dicenti: *Quantum est hoc, ut apponam coram centum viris*? respondit: *Da populo ut comedat. Hæc enim dicit Dominus: Comedent et supererit*. Atque ita factum est, IV. Reg. IV. Ostendit ergo hic Dominus divitias bonitatis suæ, quia nimirum potens et paratus est

dare pluribus et plus quam petatur aut opus sit.

Tertio, ut commendaret eleemosynæ virtutem quæ semper plus a Deo recipit, quam exponat. Testis vidua Sareptana quæ pro pugillo farinæ et olei recepit ab Elia hydriam plenam. Testis Salomon, Prov. III. *Honora, inquit, Dominum de tua substantia et de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus: et implebuntur horrea tua saturitate et vino torcularia tua redundabunt.* Idem indicavit Dominus in parabola decem mnarum, Luc. XIX. quando dixit: *Omni habenti dabitur et abundabit, ab eo autem qui non habet et quod habet auferetur ab eo.* Quis est qui habet? Qui pauperi quidquam poscenti respondit: Habeo. Quis est, qui habens non habet? Qui cum habeat, pauperi dicit: Non habeo. Habet enim perinde quasi non habeat, quia non utitur nec audet uti, seu dare ad mensam pauperum, cum senore recipiendum.

Quarto, duodecim cophinos, ut quivis apostolus haberet gestandum corbem vel in muletam diffidentiae vel in signum evangelii ab eis prædicandi per orbem.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

STIMULI AD FREQUENTEM COMMUNIONEM.

I. Primus, Christi institutio. — II. Secundus, nostre indigentia. — III. Tertius, fructus maximus.

#### THEMA.

*Colligite, quæ superaverunt fragmenta, ne pereant.*  
Joan. VI.

Vidimus hactenus triplices bestias e diversis speciebus Christo servientes; quarta autem desideratur, estque voluerum. Hæc nobis afferre panem debet pro hodierno evangelio. Sed ubi talis avis? Non reperio nisi corvum, qui sicut Eliæ prophetæ et Paulo eremitæ quotidie panem attulit: ita nobis afferet panem eucharisticum. Illis, ut dixi, quotidie terrenum panem attulit: utinam nos vel singulis mensibus de pane cœlesti participaremus! Sed quid mihi cum corvo, inquis, quid cum tam frequenti communione? Nescis, miser, famem et inediam animæ tuæ: nescis hujus panis utilitatem et præstantiam; alioquin hoc non diceres. Certe panes illos duos, quos in hodierno evangelio Christus apposuit, mirum in modum sapidos necesse est fuisse; siquidem convivæ rapere suum hospitem, et constituere regem voluerunt. Multo præstantior est panis,

X. Cur turba voluit eum regem facere? Resp. Quia cum carnali sensu expectasset Messiam regem, qui eos omnibus bonis, et divitiis imprimis abundare faceret, Christum hunc fore credebant. Unde in Græco textu dicunt: *Hic est vere ille propheta: nempe Messias noster tamdiu expectatus.*

XI. Cur fugit a turba Christus? Resp. Primo, quia non venit in mundum, ut hic regnaret, sed ut per tribulationes viam sibi ad regnum cœleste sterneret.

Secundo, quia ipsius est dare regnum, non accipere ab hominibus.

Tertio, quia noluit seditioni causam præbere, quæ haud dubie orta fuisset, si in regem electus fuisset; quid enim Romani dixissent?

Quarto, ut doceret nos honores et dignitates, non ambire sed fugere potius; præsertim quando electores, vel non sobrii, vel beneficiis deliniti sunt uti erant isti.

quo nos cibatur Dominus in s. eucharistia. Tria autem fuerunt illius condimenta, quemadmodum etiam tria præcipue sunt, quæ nos ad frequentem communionem invitant.

I. Primus, est Christi institutio, qui primo, desiderio desideravit hoc pascha manducare nobiscum; reliquitque nobis seipsum in hoc sacramento, in signum amoris erga nos, quo avet non modo nobiscum et inter nos habitare, sed nobis etiam intime uniri et incorporari ut quasi una caro et una anima cum ipso fiamus. Et quia amans non vult cogere, sed suaviter allucere, ideo comiter nos invitat: *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem*, quasi dicat, non mando quidem; placet tamen si multoties id faciatis. Cum amasset Jonathas Davidem sicut animam suam, ex parte autem Davidis non videretur amor iste futurus stabilis, cum ipse esset vilis pastoreulus, Jonathas autem filius regis, quid egit? Expoliavit se vestimentis et armis suis, etiam usque ad militare cingulum seu balteum, induitque eis Davidem, I. Reg. VIII. Quis hic dubitat, quin David in eo sibi vestitu vehementer placuerit, eumque magno in honore habuerit, adeoque crebro induerit, quasi esset alter Jonathas? At Christus ad contestandum nobis amorem suum, seipsum no-

bis dedit, ut ipso quasi induti alter ipse quasi appareamus: et sicut prius incarnatione se nostri amore exinanivit, servusque factus est: ita se in hoc sacramento rursum exinanire voluit, ut nos exaltaret, sibi que uniret, et in se quasi transformaret. Ita in vita S. Elisabethæ, 19 Novemb. legimus. Cum ipsa ex Hungaria ad Ludovicum Thuringiæ principem evocata fuisset, ut fieret ei sponsa, quosdam aulicos de ejus erga sponsam amore cœpisse dubitare, an vellet eam ducere: eo intellecto princeps Wargila dixit se plus quam vicinum montem, si totus aureus esset, diligere Elisabetham sponsam. Et Waltherus: *Peto, Domine, ut hoc ei possim nuntiare.* At ille dulciter: *Dic ei, inquit, et pro signo, quod sibi transmisero, præsentato, proferensque de bursa sua dedit nobili illi, quod apud se habebat, speculum duplex æneis inclusum sedibus, una parte simplex vitrum, et in altera imaginem præferens crucifixi.* Id a nobili s. virgo suscepit caute, et jucundo cum risu gaudium inde conceptum propalavit. Poteramus nos multo magis dubitare, an revera velut sponsas suas diligeret nos Christus, sibi aliquando desponsandas, quia nos peccatores eramus, ille sanctus sanctorum erat. Quare non dubitaremus, ecce reliquit et donavit nobis admirandum, idque duplex speculum, species panis et vini, in quibus ipsum non intueri tantum, sed revera etiam habere præsentem, et sumere possemus, in iisque memoriam passionis et crucis contemplari. Quando igitur a tam chara manu tam nobilis sponsi nostri donatum est hoc nobis monile, nonne nostrarum est partium eo frequenter uti: sicut dubium non est Elisabetham in eo speculo non se, sed sponsum suum, simulque crucifixi imaginem sæpissime contemplatam esse? Quod si hoc memoriali raro admodum utamur, quomodo Christum amamus? Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit mecum? ait Dalila Samsoni, Jud. XVI. Quomodo non amamus eum, qui amore nostri crucifigi voluit?

Secundo dedit illud nobis in memoriam passionis suæ aliarumque gratiarum, quas contulit, ut quoties id sumimus, earum memores simus. At nonne æquissimum est, ut qui magnum aliquod beneficium accepit, crebro id meminerit, imo commemoret et gratias agat? Quid fecerunt Ægyptii, ut gratos se exhiberent Josepho, qui eis præsentem septem bovum pinguium et totidem sterilium prædixit venturam annonæ vilitatem et caritatem; providitque Ægyptiis ut famis tempore vivere possent? Multi sunt, qui tradunt coluisse eos Josephum post ejus mortem, velut

deum sub nomine Serapis, ejusque in memoriam bovem unum albis maculis distinctum velut sacrum et divinum aluisse, et delicatissime quidem, eique mortuo alium semper superstitisse, ut refert Cornelius a Lap. Gen. LI. Idem Ægyptii, quia sole signum leonis transeunte inundat Nilus, et totam pene Ægyptum fecundat; (deficientibus nimirum pluviis) leoni beneficium acceptum referentes, omnes canales, tubos, siphones, qui aquam per terebrata foramina eructant, in leonina capita efformari, fundi et sculpi fecerunt, ut quoties homines inde aquam biberent, toties beneficii inundationis Nili, adeoque auctoris leonis, memores gratosque se exhiberent, Sidon, epist. I. At quanto majora beneficia accepimus a Christo, accipimus quotidie sumendo ejus corpus et sanguinem? Frequenter igitur oportet ex fonte hoc salutis aquam haurire; est memoriale passionis Domini; unde eucharistia, id est, *gratiarum actio* appellatur.

II. Secundus, indigentia nostra. Primo, ob continuum animæ nostræ decrementum. Sine pane materiali corpus, et sine hoc pane anima diu non subsistet, sed brevi contabescet, ac viribus destituta cadet in varia nec parva peccata. Quamobrem hunc potius quam illum panem petere nos jubet Christus in oratione Dominica, tamquam magis necessarium, ut vult S. Cyprianus, in exposit. orat. Domin. Ideoque Matth. VI. *supersubstantialis*, qui a Luca XI. *quotidianus* appellatur; e quo sequitur panem illum supersubstantialem nobis quotidianum esse debere. Unde S. Ambr. I. V. de sacramento, c. IV. ait: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis?* Eadem de causa panis indigentiae appellatur a Severo patriarcha Alexand. lib. de tribus baptismis. In hunc sensum accipiunt patres aliqui etiam locum Psalmi CI. *Percussus sum ut fenum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Quis proprie panis meus vel noster, nisi eucharisticus? Materialis enim panis non est ita noster, ut non sit etiam gentiliū, Judæorum, imo etiam brutorum animalium, uti canum, murium, etc. Unde Cyprian. ibi ait: « Panis vitæ Christus est, et panis hic omnium non est; sed noster est: et quomodo dicimus, Pater noster, quia intelligentium et credentium pater est: sic et panem nostrum vocamus, quia Christus noster, quia corpus ejus contingimus, panis noster est. » Jam sicut fenum seu graminis exarescit, si per multos dies pluviam de cœlo non bibat, solis interim radiis frequenter uratur: ita anima nostra, nisi subinde reficiatur pane suo, æstu concupiscentiæ identidem vexata sensim contabescit, aret,